

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4520

**Auteur(s) :** Jean de Dol, Combourg (seigneur)

**Bénéficiaire(s) :** Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1242, 2 mars

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Jean de Dol, seigneur de Combourg, confirme toutes les donations faite par lui-même, son fils Jodoin et ses hommes à l'abbaye et aux chanoines de Notre-Dame de Montmorel.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CXCIX, p. 197-199.

Texte établi d'après a

Universis Xpisti fidelibus presens scriptum inspecturis Johannes de Dolo, miles, dominus de Comborc, salutem. Noverit universitas vestra me, pro salute anime mee, Alienor, uxoris mee, antecessorum et heredum meorum, dedisse, concessisse et hac presenti carta confirmasse abbatie Montis Morelli et canonicis ibidem Deo servientibus omnes elemosinas quas ego et antecessores mei et Jodoinus, filius meus primogenitus, et homines mei, pro salute animarum nostrarum, predictis canonicis dedimus in puram et perpetuam elemosinam de cetero possidendas et habendas, absque ulla reclamacione mei vel heredum meorum, immunes ab omnibus redditibus, talliis, serviciis, auxiliis et aliis omnibus exactionibus, ita quod nulli hominum, ratione mei vel heredum meorum, in dictis elemosinis de cetero liceat nanna capere vel in eis aliquam justiciam exercere. Prenominati vero canonici sine calumpnia, tam ipsi quam eorumdem homines, communitatem in terra nostra habebunt eandem quam in eadem terra nostri homines habere dinoscuntur. Ad majorem hujus rei confirmationem et veritatis declarationem, ego predictus Johannes aliquas de predictis elemosinis per presens scriptum volui exprimere nominatim : ex dono Hasculfi, patris mei, et Yseudis, matris mee, cum assensu meo, tenementum quod Galanus Gula tenuit apud Paluel ; item, ex dono Guillelmi de Argogis, clerici, clausum de Belle Ille ; item, ex dono Jodoini, filii mei primogeniti, duas minas et dimidiam frumenti de terra verderie apud Paluel, cum clauso de la Rage, cum assensu meo ; item, ex dono Guillelmi presbiteri, de Paluel, clausum de la Foliete, cum assensu meo ; item, ex dono meo, cum assensu fratrum meorum, ecclesiam de Paluel cum omnibus pertinenciis suis ; item, ex dono meo, totam terram quam dicti canonici clauserunt vel de cetero claudere poterunt inter mare et clausuras suas de Peloeile, cum dicis infra clausuras terrarum predictorum canonicorum contemptis, tali modo quod de terris quas de cetero dicti canonici claudere voluerint inter mare et terram suam de Peloeile, sicut in carta quam inde dicti canonici de me habent continetur, pro unaquaque acra terre michi et heredibus meis annuatim tres chabocellos frumenti reddere tenebuntur ; item, ex dono meo, tredecim chabocellos frumenti quos dicti canonici michi reddebant de clausuris suis novis, et quatuor chabocellos frumenti et octo solidos Turonensium quos idem canonici michi reddebant de terris quas, cum assensu meo, dedit eis Gilo, clericus, filius Oriuedis La Danebaude ; item, ex dono Gaufridi Appolloine, cum assensu meo, tenementum Guillelmi Jodoini et duo jugera terre de dominico suo sita juxta tenementum dicti Guillelmi

in parrochia Sancti Marcani ; item, ex dono Ade de Paluel, cum assensu meo, terram suam de Peloille ; item, ex dono Gilonis, clerici, filii Oriuedis La Danebaude, cum assensu meo et Gaufridi Appolloine, unam minam frumenti annui redditus et decem octo denarios cum Johanne Farsi et unum boissellum frumenti cum Ricardo Boistart et participibus suis ; item, ex dono Alani Apolloine terram quam Johannes Farsi emit de Graelemo Forre, de Ardevvon, et participibus suis, sitam juxta domum Rualemi de Jardin, cum tota terra sita inter dictam terram et cheminum, in qua terra dictus abbas et canonici nullum hominum meorum, sine assensu mei vel heredum meorum, possunt recipere ad manendum. Has omnes elemosinas et alias, si quas habent, dicti canonici a die ista et abantea, ex donatione mea, antecessorum, heredum necnon et hominum meorum, ego predictus Johannes et Alienor, uxor mea, pro Dei amore, dictis abbacie et canonicis presenti scripto et sigillorum nostrorum munimine confirmavimus, secundum formam in presenti carta superius annotatam. Actum est hoc anno Domini M° CC° XL° primo, mense marcii, in crastino Beati Albini, episcopi.